

ctuosa debet habere. **C**hyma est q̄ sit integra: quod notatur cum ait mala. In hac enim generalitate cuncte includunt species peccatorum: de quibus omnibus penitentia necesse est. Impossibile quidem est unum remitti sine alio. Augustinus libro de penitentia: Sunt plures quos penitet peccasse sed nō omnino: reseruant sibi quedam in quibus delectentur: nō animaduertentes dñm simul mutū et surdū a demonibus liberasse: p̄ hoc docēs nos nūq̄ nisi de oībus sanari. Et ideo Ezechielis xviiij. dicitur: Conuertimini et penitentiaz agite ab omnibus iniquitatibus vestris. **C**Secunda est q̄ sit humili et accusatoria quod notatur cum dicitur sua. Debet enim penitus p̄pria peccata nō aliena cōfiteri: et sibi ipsi et nō alteri illa ascribendo s̄m illud psal. xxxi. Dixi cōfitebor aduersum me iniustiam meam dñi. Et sc̄di regum ultimo: Ego sum q̄ peccavi: ego sum qui inique egi. Et puer. xviiij. Justus prior accusator ē sui. **T**ertia est q̄ sit dolorosa quod notatur cuz dicit: Cum lachrymis vel gemitu. Penitentia aut̄ vera vt ait Ambro. est dolor cordis et amaritudo aie pro malis que quis q̄ comisit Hinc p̄pheta ait: psal. vij. Laboravi in gemitu meo lauabo per singulas noctes lectū meum: lachrymis meis stratum meum rigabo. Merito habendus est magnus dolor et gemitus cordis de peccato comisso. Cum ppter of fense diuine maiestatis celsitudine. Cum ob divine legis transgressionez. Cum ob impiam abusionē beneficiū dei. Cum ob damnosam separationē a deo: cum ob ignominiam captiuitatē sub demonib⁹ tum ppter peccatorū vilitatē que oīa cōcurrut in peccato mortali. Quare hiere. vij. dicit: Filia p̄pli mei accingere cilicio et cōspergere cinere. glo. docet vt querant ad penitentias: luctū fac tibivnigeniti hoc dicit ad designandum magnitudinez doloris qui habendus est p̄ pctō cōmissio: q̄ ut ait glo. Nihil amplius dolemus q̄z vni genitū vel solū pdere filiū. Consideranduz q̄ notanter inquit sc̄us pater cum lachrymis vel gemitu cōfessionē faciendam esse pctōz quia non semper excuti possunt lachryme corporales Sufficit aut̄ ad penitentiam ipse gemitus cordis. Augustinus in

libro de penitentia: Recte penitēs q̄cquid post purificationē contrariit sordiu oportet vt abluit saltem lachrymis mentis. **Q**uarta est vt sit continua quod notat cu dicif quotidie. De quo augu. li. de penitentia: Dolor in p̄nia quotidie custodiat. Itē: quid restat nobis nūq̄ dolere in vita? Ubi enī dolor finitur deficit penitentia. Bernar. in sermone de penitentia: Clerus penitēs semp est in labore et dolore: dolet de p̄teritis: laboret de futuris cauendis. Clera siquidē penitentia est sine intermissionis tempore de pctis dolere: sic plāgere cōmissa ne q̄mittat plangenda. Unde dicebat Abbas felix vt habet in vitis patrū: Sicut vmbra corporū circuferimus: sic cōpūctionē debemus circuferre. Hinc vt beatus gregorius testaf in moralibus: Mentes fidelium sine amaritudine esse ne sciunt. **C**est tamen notandum q̄ penitere q̄tingit dupliciter: vt dicit sc̄us Thomas in tertia parte. q. lxxiiij. articulo. ix. vide licet. s̄m actū et s̄m habitū. Actu quidem impossibile est q̄ homo cōtinue peniteat quia necesse est q̄ actus penitētis siue interior siue exterior interpoletur ad min⁹ somno et alijs q̄ ad necessitatem corporis pertinent. Aliomodo dicif penitere s̄m habitum. Et sic oportet q̄ homo cōtinue peniteat. Et quantū ad hoc q̄ homo nūq̄ aliquid contrariuz faciat penitentie: per quod habitualis dispositio penitentis tollatur: et quantū ad hoc q̄ debet in p̄posito gerere q̄ semper peccata p̄terita dispeceant. **Q**uinta conditio est vt sit satissimā oratione qđ notat cum dicit in oratiōe. Oīo aut̄ vna est pars satisfactionis Ait enī beatus augustinus super psal. xlj. Hec est enī inquit iustitia hominis in hac vita: oratio ieunium et obedietia. Vis orationez volare ad celum: fac ei duas alas ieunium et elemosynaz. Debet autem penitens satis facere de cōmissis. Nam vt ait Isidorus libro etymologiarū: Penitentia est appellata quasi punientia: eo q̄ homo in se penitendo punit quod male admisit. Et augusti. in quadā ep̄la: Hoc est opus penitentis vt id mali qđ fecit impunituz esse non sinat. Iohes. ii. Conuertimini ad me i toto corde vestro. Et sequitur. Scindite corda vestra et non vestimenta vestra. Luce. iv.

Exemplū de cōtinuo dolore penitentie.

Penitere cōtingit dupliciter.

Etymologia penitentie.

Penitentia ve
ra.

Merito do
lenduz est de
pctō propter
multa.

necessarie sūt
ad penitentiaz
lachryme sal
tem cordis.